



## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Cvrsvs Theologici ...**

Ea Brevitate Conscriptus, Qvam Tot Tantarvmqve Rervm Amplitudo Et  
Varietas Patitvr ...

Quas Prima Pars Et Prima Secundæ Divi Thomæ Complectvntvr -  
Qvæstiones Insvper Ad Mores & praxim spectantes, quæ peculiarem cum  
Scholasticis habent connexionem, declarantur

**Carleton, Thomas Compton**

**Leodii, 1659**

Sect. II. Sítne Angelus naturâ inflexibilis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13718**



simpliciter sufficiens: unde Moralem ait in iis fuisse respiscendi impotentiam, non physicam.

V. Docent sancti Patres Angelorum peccatum, statim postquam commissum est, fuisse irremissibile.

Ratio cur Angelorum peccatum fuerit irremissibile.

VI. Ex quibus Patrum dictis colligitur, cum Angeli ex plena deliberatione, & non ex imperfecta ac fragili natura, sicut homines in corpore, peccaverint, iusto Deum iudicio statuisse gratiam deinceps omnem iis denegare, etiam sufficientem; sicque primo statim post peccatum instanti, licet damnati etiamnum ad poenam non fuerint, fuisse tamen omni auxilio ad respiscendum necessario spoliatos. Imò existimat Granado habitum iis fidei tunc etiam fuisse ablatum. Quod si adhuc habitus ille remanserit, noluit tamen Deus actus fidei ad iis tunc elicitos, si quos forte elicerent, acceptare ad peccati remissionem, praesertim cum verisimile sit, eos spem etiam per beatitudinis contemptum amisisse. Addunt aliqui noluisse Deum gratiam iis excitantem tribuere ad utendum habitu fidei,posito quòd manserit, necessariam.

Fidei etiam & Spei habitum spoliati tunc sunt Angeli.

VII. Peccatum retrahere non poterat sicut oportet ad consequendam salutem.

Secundò tamen dico contra Capreolum, Cajetanum, Banez, Ferraram, ac Thomistas communiter, & Halensem, hæc solùm esse intelligenda de retractatione prout oportet, seu necessaria ad salutem consequendam. Quod ulterius confirmatur, quia nullus iis praestitus est redemptor, & consequenter nulla auxilia gratiæ ad poenitentium, cum nec homini ullum datum sit huiusmodi auxilium, nisi ex meritis redemptoris: non est autem cur dicamus, gratiam amissam Angelorum esse magis redimibilem, quàm hominum; imò id expressè negant Patres.

SECTIO SECUNDA.

Sitne Angelus naturâ inflexibilis.

Angelus electionem semel factam potest naturaliter mutare.

DICENDUM cum Scoto in 2. disp. 7. Gabriel. Suarez lib. 3. cap. 10. Molina, Vasq. & alijs, Angelum in electione semel facta non ita esse obfirmatum, ut eam naturaliter mutare nequeat, vel per actum bonum naturalem, vel saltem per malum priori contrarium. Probat primò autoritate Patrum, qui immutabilitatem electionis, seu decreti, propriam aiunt esse voluntatis increate, omne autem arbitrium creatum dicitur esse flexibile, ac mutabile: ita S. Gregorius,

Fulgentius, & alii, & in particulari S. Damascenus lib. 2. cap. 3. ubi ait Angelum, non solum arbitrii libertate esse praeditum, sed ulterius addit, esse perpetuò mobilem, & sententiæ ratione esse mutabilem: & infra addit omne creatum arbitrium esse mutabile.

Deinde idem ostenditur ratione: nihil siquidem est quod Angelum ad electionem semel factam non mutandam ab intrinseco necessitet; nec enim actus ipse per se est immutabilis, nec ab eo relinquitur habitus aliquis, talem inferens necessitatem, nec ejusmodi est ipsa naturalis propositio Angelica voluntatis. Denique refundi non potest in intellectum hæc inflexibilitas, quòd scilicet cum plena semper deliberatione eligat Angelus; ergo ex nullo capite oritur istiusmodi immutabilitas: antecedens quoad hæc duo postrema, in quibus immobilitatem illam naturæ præcipuè statuant adverterari, probatur: de facto enim Angeli boni non fuerunt naturâ suâ in bono immutabiles, sed per Dei gratiam in bono sunt stabiliti, cum quantumvis benè ab initio operarentur, labi potuissent in peccatum: & Angeli etiam mali aliquando bene operabantur, quod Sancti Patres, & in particulari S. Damascenus libro secundo de Fide, loco jam citato affirmat, Quod Angeli, inquit, ad malum insecti nequeant, non ipsorum natura est, sed Dei gratiæ tribuendum est.

Clarius id docet S. Fulgentius ad Petrum cap. 23. Hoc ipsum, inquit, quod ab illo statu mutari in deterius non possunt, non est iis naturaliter insitum, sed gratiæ divini largitate collatum: si enim Angeli naturaliter incommutabiles fuerent, nunquam de eorum consortio diabolus & ejus Angeli cecidissent &c. & tamen non minus est plena deliberatio in Angelis respectu boni, quàm mali. Imò & dæmon decreverat efficaciter procurare mortem Christi, mediâque jam aliqua ad id perficiendum posuerat, immittendo scilicet tentationem in cor Judæ, ut Christum proderet, incitando Judæos, ut eum comprehenderent, examinerent, Pilato traderent &c. postea tamen mutata voluntate, illius mortem conatus est impedire.

Dices: Angeli immobiliter objecta apprehendunt, & omnia statim vident, quæ naturaliter videri in re aliqua possunt, ergo & immobiliter eligunt. Resp. negando antecedens: licet enim Angelus sine discursu res cognoscat, non tamen ita, ut omnia quæ ad electionem faciendam spectant simul penetret. Deinde, ante damnationem, non habuit Angelus scientiam experientialem poenarum inferni, ac proinde est peculiaris ratio, cur ipsos jam facti poenitent, insectumque velint, quod prius fecerunt.

S. Thomas verò dum Angelos dicit esse inflexibiles, solum vult esse in iis ad summum moralem quandam inflexibilitatem, seu difficultatem multò majorem, quàm in hominibus, eò quòd res perfectius considerent, ac penetrent, & sine passione in objectum ferantur, quæ fuit causa cur à Deo statim post primum peccatum delerentur.

SECTIO

Omne arbitrium creatum est mutabile.

II. Nihil est in Angelo, quod eum ad non mutandam sententiam necessitet.

Mali Angeli bene aliquando operabantur.

III. Non minus est in Angelis perfectia deliberatio respectu boni, quàm mali.

Demonstratio Christi mortem tentavit.

IV. Non ita perfectè circumstantiis rerum cognoscit, ut nihil iis non interdum occurrat.

V. Quo sensu dicit S. Thomas Angelos esse inflexibiles.